



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

B. Torrellvs C. 16. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

mox medius ruptus aëri & libertati pavidam redderet. Hoc viso animatus, cum & fugam lapsæ, & reditum respicientis non malus vates ominatus esset ingenium ecce exerit, & id ætatis senex militem induit atque urbem petit. Hic qui L. ipsos annos vinum nec libaverat, convivium instruit, mensæ neptem adhibet, quæque ad hilaritatem faciunt, omnia facit pius auceps. Mox tamen captâ in tempore occasione, quis sit? aperit. cur venerit? exponit. Tum verò verbis DEO plenis aggredditur, & primò mirari, deinde nutare, tum cedere, demum manus dare Mariam cogit. quid multis? ad columbaria Eremi reducit. Quid ibi, ais, columba capta? nempe gemuit. *Ex vitis PP.*

Deus ob ineffabilem misericordiam, Crucem propter nos sustinuit; cur non & nos erga proximos iustissimi, & agnoscentes eos ut membra nostra, & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis reducamus? S. Chryl. in Gen. hom. 3.

B. TORRELLVS C. 16. Martij.

PETrum videre te alterum pûta, cum TORRELLVM vides. Nam & hic forte fortunâ gallum in humeros involantem, tertioque cantantem audivit, flevit, respuit, & ex Veneris, cui meliorem ætatem devoverat, mancipio cæli delictum factus, quidquid pauculis annis in urbe peccavit, LX. omnino annis inter silvas damnavit. In his civium illi frequentia arbores, tectum cælum, vestis seorsum porci corium, arma, quibus in se utebatur, catena ferrea, delictæ panis & fons, cubile terra, plumæ sarmenta, cervical lapis fuere. Sic quoque non nisi tres horas somno, reliquum omne noctis lacrimis transcripsit, tunc etiam credo à gallo

gallo expergefactus. Veneris flammam vel vepribus suffocavit, vel gelidam extinxit. Sportulam lauram unctamque cum Papiensis Comes in Bacchanalia submisisset, hospiti eam servaturum se promisit; is ursus fuit, qui de manu Divi canavit, dignissimus Bacchanalibus hospes. Atque huic prædam cum lubens volens concessit, sed non perinde lupo puerum. Eripuit enim hunc, poenamque lupis omnibus illic morantibus exilium indixit. Atque hoc est, cur exuli Senensi (cui reditum in patriam impetravit caelo jam receptus) cum Divi cefigiem penes se habere hic percuperet, visendum se cum lupo gremium premente præbuerit. Porro TORRELLVS moriturus Angelum habuit monitorem. Scio habere eum tu quoque percuperes. Et verò nisi aures claudis, hodie habes. *Ex Ferrar. & Chron. Min.*

Vae tibi, qui post lapsum fortio rem te nobis exhibes! Vt quid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, & ne prohibeam frangi, quod distortum est, ut possit melius solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare, S. Bern. in F. SS. Pet. & Pauli.

S. HERIBERTVS EP 16. Mart.

SPLENDOREM D. HERIBERTI, quo sive in aula Otton. Imp III. sive Pontificatu deinde Coloniensi conspicuum orbi se fecit, indicavit ingens, quæ matrem parientem lux ambivit. Illustriorem fecerunt radii; qui precantem persæpè cinxerunt, aliæque cum admiratione facta. Et fortè cælum imbres suos terris subduxerat, cum ecce HERIBERTVS, supplex ad Divorum pulvinaria factus, vix oculis pluit, cum cælo DEVS. Tunc etiam euntem